Præsertim autem diligentiâ Strenuissimi Viri Cromwellii t[...]
tantaq; præsidia hodie sunt in armis, ut ne contra quidem mu-
ssitare ausuri sint Regis asseclæ. De pœna possum equidem di-
cere id, quod res habet. In Regem enim si decernitur capitis
supplicium, mors ei fert omnium ærumnarum requiem, non cru-
ciatum, cunctaq; ejus mala dissolvit; sed per DEUM immorta-
lem! Annon id cogitatis, vocalem admodum regium esse sangui-
nem, nec adverti tantum ejus voces à Regibus jam in his terris,
sed ab ipso etiam scelerum vindice Deo, qui et intelligit ipsas,
et dum intelligit, movet bilem ac flammat? Annon cogitatis,
quod Leges cum divinæ, tum humanæ reclament, quod reclament
Leges fundamentales. Sed exilium, dicitis, non nullas Leges
pro delicti ratione, si scilicet præter modum Princeps in
Republ. tyrannidem exerceat, in Reges decernere? Do, largior
vobis. Annon verò acerba, aut nimis gravis vestra de sumen-
do Regis supplicio manet sententia? Manet utiq; piaculo ex-
piandum Scelus Regem accusare, condemnare, eumq; securi per-
cutere. Quod si tamen Legibus standum, ex iis judicetis, jubeo.
Nam, si convenit in minori negotio observare Leges, cur eas in
majori negligeretis? cur non potius ex iis decerneretis? Parricidæ
scil: videremini, si conculcatis Regni Legibus, contra omnia jura ad
Regem propria Autoritate condemnandum convolaretis, si deniq;
eundem infami pegmati impositum populiq; spectaculo expositum
per Carnificem capite truncaretis. Tempus sanè, dies, ipsaq; for-
tuna, cujus libido Gentibus moderatur, facinus hoc detestabitur. Et
quidni detestaretur? Nullibi enim simile, de sublato securi
Rege legitur exemplum. Sublatos quidem Reges legimus, sed in car-
cere, sed veneno, sed mucrone, sed laqueo: legimusq; et alios in
eorum locum suffectos: sed tale quid nunquam factum legitur, quod
atrox vestra sententia Regi Carolo Stuarto decrevit, ut scil:
è Carcere educeretur, ut in Regiam adduceretur, ut coram
judicibus selectis sisteretur, ut causam dicere tanquam reus coge-
retur, ut condemnaretur, ut securi percuteretur. Considera-
te heic quæso, boni Viri, quid aliis facturum sit, si Regibus non par-
citur, quò minus diris è medio tollantur suppliciis. Omnia mala
exempla è bonis oriuntur initiis, sed ubi ad rei ignaros ac minus
bonos